

rum morum consuetudinem, hæc ipsa consensio vniuersa quidem virtus est. Ipsam verò decetem circa voluptates & dolores assuetudinem, per quam ab initio vsque ad extremum vite homines oderint que odibile oportet, & ament que amanda sunt, si per se ipsam seorsum ratione consideratam disciplinam vocaueris, rectè, vt ego arbitror, appellabis. **CLIN.** Et enim que antea hospes & que nunc de disciplina differuisti, probè dicta videntur. **ATHEN.** Bene igitur est. Huiusmodi verò voluptatem atque dolorem rectam institutionem, que disciplina dicitur, transgrediantur homines in vita, ac sepe pervertunt. Dij autem genus hominū laboribus natura pressum miserati, remissiones laborum ipsis statuerunt, solennia videlicet festa vicissim in ipsorum deorum honorem instituta præbentes. Musas quintam & Apollinem Musarum duccem, & Bacchum concelebratores, deorumque concilio emendatores morum inter solennia adhibere. Considerandam igitur verum hic sermo secundum naturā nobis ac verus est, qui dicit: tenerioris ætatis omnes, vt vno verbo complectar, non posse nec corpore, nec voce quiescere. sed moueri semper, & loqui velle, alios exultantes ac gesticulantes, & veluti cū voluptate saltantes solent esse, alios variis vocibus conclamantes. Ac cetera quidem animalia ordinem ordinisue defectum, qui sine ordo in moribus inspicitur, & rituum harmoniaque vocatur, nequaquam aduertunt. Nobis autem ab his diis quos concelebratores datos esse nobis diximus, rythmi & harmonia participem sensum esse tributum, cōsequē mouere nos cum voluptate, chorūque nobis ducere cātibus & saltationibus nos inuicē copulantes: quem quidem chorū *χορὸν* *χορὸν*, id est lætitia nominauerint. Primum verò considerandum, num concedamus, disciplinam primam per Musas & Apollinem esse. An quomodo? **CLIN.** Ita prorsus. **ATHEN.** Disciplina igitur expers dicendus, qui nunquam chorea vltus est. Disciplina verò compos cōtra, qui satis id fecit. **CLIN.** Si ponimus. **ATH.** Choreā verò omnis tripudium simul est, & concentus. **CLIN.** Necesse est. **ATHEN.** Quisquis ergo bene disciplina instructus est, & saltare, & cantare bene potest. **CLIN.** Videtur. **ATH.** Sed videamus quid est quod modo diximus. **CLIN.** Quid istud? **ATHEN.** Cum bene cantare, & bene saltare que impiam diximus, verum etiam bonā cantare, & bonā saltare, addendum sit, an non? **CLIN.** Addendum. **ATHEN.** Quid porro? Si quis honesta, vt sunt, ita honesta esse arbitrat, & turpia similiter turpia, atque ita his vitare, melius choream nūquid tenebit, quam ille qui corpore atque voce quod honestū putat, sufficienter exequi passim valeat, nec honestis tamen gaudeat, nec odit turpia? an ille qui quamuis voce corpore que nō potest, vt decet, assequi, voluptate tamen & dolore assequitur, vt bonis quidem gaudeat, praua autem oderit? **CLIN.** Magnū verò disciplinæ discrimen, o hospes, narra. **ATHEN.** Si ergo cantus tripudii que bonum nos tres non ignoramus, cognoscimus vtique & qui disciplina rectè potitur est, & qui contra. Si autem hoc ignoramus, neque si qua disciplinæ conseruatio sit, & ubi sit, scire vnamquam poterimus. Nōne ita? **CLIN.** Ita prorsus. **ATHEN.** Deinceps igitur sicuti canes per veltigia decentem figuram, melodiam, cāntum, & saltationem inuestigamus. Nam si ista nos fugiant, frustra de recta disciplina siue Græcæ, siue barbata disputabimus.

In hac sententia multo cetero de finibus.

Quod rythmi & harmonia.

Que chorea.

Quod chorus.

Quod disciplina.

CLIN. Sic arbitror. **ATHEN.** Quam igitur figuram, & melodiam bonam vocare decet? Num libris animi, & timidi similes figuræ voces eius in eisdem aequisque laboribus sunt? **CLIN.** Quomodo similes, quando neque colores? **ATHEN.** Scitèd amice, sed in Musica, & figuræ sunt, & concentus, quom circa rythmum & harmoniam, vt lectos, Quare boni rythmi harmoniaque figuram & cantum licet dicere: boni autem coloris, non possimus rectè dicere, perinde imaginantes, vt magistri choreæ solent. Ignauis autem & fortis viri figura quædam est aut cantus: atque hæc rectè in viris fortibus honesta, in ignauis turpia nominantur. Sed ne in his longior sim, omnes simpliciter virtutis animi, vel corporis, aut virtutis imaginati adhaerentes figuræ atque concentus, honesti: contrarij verò, turpes, **CLIN.** Rectè tu quidem, atque ista sic habere in præsentia iudicamus. **ATHEN.** Præterea & hoc cogitandum, vtrum omnes omnibus choris similiter delectentur, multum inter se. **CLIN.** Multum omnino. **ATHEN.** Quid igitur esse dicemus, quod in errorem nos impulit? Vtrum non eadem sunt honesta bonaque nobis omnibus? An ipsa quidem eadem sunt, non tamen eadem esse videntur? Neque verò dicere quisquam audebit, vitiōsam choream virtutis participem meliorem esse. Neque ferebitur, vnum aliquis se quidē figuris prauis lætari, alios autem contraria quadā multa. Quamquam pletique prædicant eadē musicæ rationem in vi quadam consistere, que voluptatem amicis afferat. Quod neque ferendum est, neque dicendum omnino, nefas enim. Hæc autem potius erroris causa est. **CLIN.** Quænam? **ATHEN.** Quoniam in chorea vtriorum morum, variarumque rerum variis infortibus moribusque gestarum imitationes sunt, quibus illa que dicuntur, aut declarantur, aut sub specie saltationis exprimentur, vel natura vel consuetudine, vel vtique peribantur, atque animo eorum conueniunt, quos gaudere illis, laudare que, & honesta nuncupare necesse est. Quibus autem præter naturā vel morem vel consuetudinem aliquam accidunt, hi neque gaudere ipsis possunt, neque ea laudare, imò turpia appellare necesse. At vero quibus hæc natura rectè contingunt, consuetudine autē contra, vel cōsuetudine quidē rectè, contra verò natura, isti laudes voluptatibus cōtrarias proferunt. Singula enim horum iucūda afferre esse: sed & praua esse concedunt. Atque idcirco coram aliis, quos mentis compotes putent, venentur corpus eo pacto mouere: venentur quoque ea cantare, honestaque & studio digna, asserere. Ipsi verò secum iis omnibus delectentur. **CLIN.** Verissima loqueris. **ATHEN.** Nunquid damnū aliquod inferunt illi, qui prauis figuris aut cāntibus delectantur: vel vitiatas eis, qui voluptates in contrarijs capiunt? **CLIN.** Verissimile id quidem. **ATHEN.** Vtrum verissime tantum, an etiam necessariū sit ita id se habere? sicuti cum quipiam cum hominibus improbis conflictat, neque motes eorum odit, sed delectatur his potius & indulget, & tamen loci loco vituperat, quasi per somnum ipse in se eorum percipiens prauitatem. Tūc quippe necesse est vt similis efficiatur illis quibus gaudet, etiam si laudare vereatur. Quia quidem re quidam maius, aut bonum, aut malum ex omni necessitate accedere nobis exiliemus? **CLIN.** Nihil puto. **ATHEN.** Nunquid arbitramur vbi leges bene constitutæ sunt, aut & in posterum

ita erunt in disciplinis iocisq; musarum eam poeticis fore licentiam, vt que quid poetam delectet vel rythmo, vel cantu, vel verbo poetico, idem & docere ei liceat: & bene institutorū ciuū pueros adolecentēq; in choris quacunq; contingit, vel ad virtutem, vel ad vitium iudicet? **CLIN.** Præter rationē id est. **M. E. G.** Certè. **ATH.** At illuc, vt breuiter dicā, vbi que fere præterquam in Ægypto agere licet. **CLIN.** Quo autem pacto in Ægypto hanc legem fanciant esse dicis? **ATHEN.** Mirum hoc quidem auditu est. Nam id olim, vt mihi videtur, illi cognouerūt, oportere quod nūc nos diximus, in ciuitatibus iuuenes, bonis figuris & bonis cāntibus assuescere. Quæ verò & qualia sint huiusmodi, in sacris ab eis instituta, ac præter illa neque pictoribus, neque alijs figurarū, vel quorūcūque artificiorum fabricis noua vlla licebat inducere, neque etiam excogitare alia præter patriā, nec hodie licet aut in his, aut in vniuersa musica itaque si obserues, inuenies ibi que decem annorum millibus retrò depicta, formateque quomodocūq; fuerūt, quasi nō adeo vetusta sint, vt ita dicā, nec pulchriora, neque turpiora his que hodie depinguntur, sed eadem arte confecta. **CLIN.** Mirabile auditu est quod dicis. **ATHEN.** Imo ciuile nimū maximèq; legi positioni conueniens. Inuenies ibi alia quedam leuia: sed hoc circa musicā verum est, dignūq; animaduersione, quod videlicet poterat de rebus huiusmodi certa stabilique lege caueri, & legumatorē ausum fuisse cōcentus tales, qui natura rectitudinem exhiberent inducere. Quod quidē aut dei, aut diuini alicuius viri opus est. Quæ admodum & ibi ferunt antiquissimos illos apud eos cōcentus, Iudis esse poetama. Quam obrem, vt dicebam siquis quoquo modo istorum possit rectitudinē intelligere, ei audendum est hæc ad ordinem legemq; reducere. Nam noua semper circa voluptatē & dolorē appetitus ipsius affectio, que quidē noua semper musica vt iudet, haud magnā fortasse vim habet, vt eas choreas vetustatis incusatione corrūpat, que sunt sacris legibus constitutæ. Nepe Ægyptiorum choreas nequaquam tanto tempore corumpente potuisse videri, sed contra omnino. **CLIN.** Ita se res habet vt ex tuis verbis colligitur. **ATHEN.** Dicamus igitur cōsideret, choream cum ludis & musica rectè coherere. Legatur quoties feliciter viuere nos opinamur: quotiesne letemur, turfus feliciter viuere dicimus. nōne ita? **CLIN.** Ita prorsus. **ATHEN.** Atq; dū letamur, que scere non valemus. **CLIN.** Est vt dicis. **ATHEN.** Nōne igitur qui iuuenes inter nos sunt ad saltandū apti sunt? Nos autē qui seniores sumus in his spectandis decenter versus putamus, dū illorū ludis & celebritate gaudemus, quando quidē nos corporis leuitas delibuit, cuius desiderio, certamina his ponimus, qui quā maximè queat atatem illam iuuenilem in memoriam nobis reuocare. **CLIN.** Vera narra. **ATHEN.** An igitur frustra omnino illud a multis de id genus hominibus sacros ludos peragentibus dictum esse putamus, eum sapientissimum & victorie compotentem iudicandum esse maxime, qui nos lætari atq; gaudere eum maximè faciat. Nam postquam ludere in istis permittitur, cōueniens esse videtur, vt eum qui quam plurimos & quam maximè ad gaudiū prouocet, præcipuè honoremus, & vt modo dicebam, victorem esse dicamus. Rectène id ita dicitur rectèq; fieret, si ita feret? **CLIN.** Fortè. **ATHEN.** Sed, o beate, ne tam præcipitanter sententiā feramus, sed hoc ipsum in partes distin-

guées hoc modo cōsideremus. Si quis certamen aliquando qualecūque proponat, sed nec gymniciū, nec musicum, nec equestre adiciat, sed omnibus ciuibus congregatis, voluptatis gratia certamen dūtaxat instituat, præmiāq; ei proponat, qui spectatores maximè delectet, optimèq; omnū id fecisse iudicetur, cum nullus delectandi modus expressus sit, quidnā ex præconio euenturū putamus? **CLIN.** Quæ de re dicis? **ATHEN.** Par est vt alius sicut Homeris Rhapsodiam ostendat, alius Citharam, Tragediā alius, alius verò Comædiam. Neq; deicit qui miraculo ostendens victoriam se opinetur consecuturum. Quum tales & alij generis eiusdem certatores multi confluerint, possumusne dicere, quis ritè victor sit abitoribus? **CLIN.** Absurdum quid rogas. Quis enim scitè id respondere poterit, prius quam ipse istio presens singulos certatores audierit? **ATHEN.** Vultisne igitur vt ipse ad absurdum istud respondeam? **CLIN.** Quidnā? **ATHEN.** Si pueri admodum parui sententiam dicat, præstigatorum vicisse ceteros iudicabit. An non? **CLIN.** Quid obstat? **ATHEN.** Pueri verò mausculi comœdum ceteris anteposent. Sed mulieres eruditæ atq; adolecētulæ, & femine multitudine tota, Tragediam fortasse laudabūt, **CLIN.** Fortassis ita contingeret. **ATHEN.** Seniores autem nos iucundissimè Rapsodum forsitan audiemus, qui Homericum aliquid, Iliada, vel Odysseam, aut aliquid Hesiōdicum bene ceceuerit, victorēq; omnium prædicabimus. Qui ergo iure victor sit, nōne declarandum restat? **CLIN.** Sanè. **ATHEN.** Perspicuum quidem est, vt & mihi videtur, & vobis necesse est concedere, et reuera esse victorem, qui vicisse à nostris aequalibus iudicabitur. Vnus enim rerum quem ab ætate habemus, omnium quidem ciuiliū magnū quiddam vbiq; est & optimum. **CLIN.** Proculdubio. **ATHEN.** Concedo igitur ipse hoc multis, vbi voluit Musicam iudicanda, non tamen quomuis hominum voluptatē, sed illam ferem Musam esse dico pulcherrimam, que optimos satisq; eruditos delectet, præcipuè verò, que virum virtute & disciplina præstantem. Quapropter virtute egerè harum rerum iudices affirmamus. Nam & prudentiæ eos & fortitudinis opoitet esse participes. Prudentiæ quidē, quia non debet verus iudex que determinanda iudicio sunt, ab alio discere, & quasi stupefactus tam clamore multorum, quàm ignorantia sua ita ferre sententiam. Fortitudinis quidem, quia nec etiam si per se ipsum intelligit, debet propter ignauiam & formidinem ex eodem ore, quo iudicaturus deos inuocauit, ignauiter, iniquum iudiciū promulgare. Non enim vt discipulus, sed vt magister spectatorem, sic patet est, iudex sedet, inuenit spectantium voluptatibus aduertatur. Licebat præterea Græcæque lege, quemadmodum nunc Sicilia & Italia: que multitudine spectatorum rem permitentes, & manibus sublati victorem declarant, deprauauit quiddam poetas ipsos, qui ad iudicium vulgarium prauam voluptatem componunt omnia, ita vt ipsi spectatores poetas, & se ipsos erudiant. Corrupti & ipsius spectaculi voluptates. Nam cum eos oporteat qui interferunt, meliora semper moribus suis audiri, atq; ita meliorem consequi voluptatem, nunc eis ex theatro cōtrarium accidit. Quid igitur hæc ita dicta sibi volunt? Animaduerte nūc hoc sit quod volumus. **CLIN.** Quidnam? **ATHEN.** Ter iam aut quater ad idem reuoluam oratio mihi videtur, disciplinam

plina educationem esse puerorum, quæ ad eam viuentium ratione perducit. quam lex recta esse dicitur, & viri equitate præstantes senioresque vii rerum, si rectam comprobauerint. Vt igitur puerorum animus legem ita sequatur, vt non contrariis, sed iustis quibus lex & senior, doceat gaudeatque, profus legum conditor suadebit, & si opus fuerit, coget poticum hominem honestis verbis temperatorum, & fortium, & omnino bonorum hominum gesta describere, tam figuras eorum rhythmis quam accētus harmoniis vt decet effingētem per eos cantus quas Odas vocamus, que reuera *isōdōri*, id est, incantationes circa animos sunt, de industria ad id cōpositæ vt hominū animi dolendo gaudendōq; legibus obsequantur. Quia verò teneriores animi serua studia non suscipiunt, io ei & cantus ista dicantur & fiant: idēq; in his efficitur, quod agere solēt qui hominēs corpore ægrotantes curant. hi nanque alimenta conuenientia quidē iucundis condimētis illinunt, noxia verò amaris insiciunt, vt asclere altera, altera reicere consueciant. **CL. I.** An igitur in aliis ciuitatibus autē hospes seruari hęc censes? Nam quantum ego scio, quæ tu precipis, nusquam nisi apud nos & Lacedæmonios fiant. Noua enim semper & in saltationibus, & in alia musica excogitantur, non à legibus mutata, sed à voluptatibus quibusdam vagis, quæ nullo pacto aut eadem sunt, aut eodē modo permanēt, sed variæ semper fiunt contra mores illos. **Egyptiorum**, quos narraſti. **ATHEN.** Probē, o Clinia. Si autem visus sum tibi quæ modo dicis, quasi vbi que nūc fiant, supra dixisse, non mirarer si minus clarē quæ sentio, exposuerim. Dixi equidem quæ in musica fieri vellem, & ca tibi quasi fiant dicere visus sum. Vituperare enim rem insanabile, & errore longē prouectam, nullo modo iucundum, interdum verò necessarium est. Verūm postquam in his consentimus, nōnne quæso apud vos & apud istos hæc magis, quam apud alios Græcos fieri asseris? **CL. I.** Cur non asseramus? **ATH.** Si & apud cæteros similiter fieret, nōnne melius quam nūc agerentur? **CL. I.** Multo certē præstantius, si ita disposita essent quemadmodū apud istos & apud nos, & vt paulo antē tu præcepisti. **ATHEN.** Age videamus nunquid hæc sint quæ apud vos in omni disciplina & musica prædicantur. Poetas carminibus dicere cogitis bonū virū quia temperatus iustusq; sit, felicem esse atq; beatū, siue magnus atq; robustus, siue paruis ac debilis, siue pauper sit, seu diues. In iustum autem hominem etiam si ditior sit, quam Cinyras aut Midas, miserū esse, & in merore vitam ducere. Itaque poeta nobis si redē loquatur, inquiet. Nunquā ego de illo mentionē faciā, neque virū appellabo, qui non omnia quæ bona dicuntur, cum iustitia possideat atq; disponat. Is igitur iustitia exornatus, cōminus pugnare cū hostibus deleat. In iustum autē sanguinolentā cædem videre nō audeat, neque currendo Threiciū queat. Boream superare, nec ei quicquam eorum quæ bona dicuntur, vnquā affuerit. Quæ enim vulgō appellatur bona, non redē bona dicuntur. Aiunt nempe optimū esse sanitatē, ei proximū bonum formam, vires tertium, quartum verò diuitias. Innumerabilia sermē cætera huiusmodi bona narratur. Nam & acute cernere atq; audire, aliusq; sensibus integrē viri, bona videntur, & ad hæc omnia posse tirannica licentia facere quæcūq; cupias. Summāq; totius beatitudinis esse fuerūt, si cum istorum omnium possessione immortalis sta-

*Ficinus
quæſti-
onem
sulle co-
dici seu
tuus, hic
inuenit.*

*Quæ de-
bit can-
tare*

tim euadas. Ego autem ac vos vnā conuenimus, iustis sanctisque viris optimam esse iustorum omnium possessionem, iniustus autem omnium pessimam, à sanitate initio sumpro. Sanum nanq; esse, & videre atq; audire, ac omnia facili, sentire, & omnino viuere vel immortalem, pessimum est, si cum horum omnium possessione semper vixeris expertus iustitiae cæterarūque virtutū. Minus autē malum, si quam, breuissimo tēpore sic affectus vitam finieris. Hęc vtiq; & ipsi veltros hortabimini, & cogētis poetas dicere, pētq; his cōsentaneos numeros & concētus adoleſcētiam erudire. Num ipso hoc animaduertis? Ego enim assero quæ vulgō mala dicuntur, iniustis bona esse, iustis autem mala. Quæ verò dicuntur bona, bonis quidem verē bona, malis autem mala. Cōuenimūsne igitur adhuc in eo quod quærebam, an non? **CL. I.** Nam quidem consentire videmur, partim minimē. **ATH.** Fortē vobis non persuado non esse beatū illum, sed miserū qui iniustus & contumeliosus est, etiam si sanitatem habeat, & diuitias perpetuamq; tyrannidem, iniustas præterea corporis vires, & animositatem, immortaltatēq; possideat, nihilq; ex his perpetiatur quæ vulgō mala dicuntur. **CL. I.** Vera loqueris. **ATH.** Esto, sed quid deinde dicēdum? Et si viribus pollet, formosusq; est & diues, cundāque per omne vitā facit quæ concupiscit, nōnne vobis videt si iniustus contumeliosusq; sit, ex hoc duntaxat necessario turpiter viuere? An turpiter quidem conceditis? **CL. I.** Profus. **ATH.** Quid autē nōnne & malē? **CL. I.** Haud similiter illud. **ATH.** In iucundē verò atque in cōmodē nō cōceditis ei? **CL. I.** Quo pacto hæc concedemus? **ATH.** Quomodo? Si deus quispiā, o amici, consensum nobis (vt videtur) animi tribuat, vt nunc quidē, inter nos dissentimus. Mihi enim ista magis necessaria videtur esse, o amice Clinia, q̄ Cretā esse insulā: ac si Cretensibus ipse leges conderem, tam poetas quam cæteros omnes ciues sic loqui compellerem, ac penā penē omnium maximam intenterē, si quis ea in regione assereret esse aliquos quandoq; homines prauos qui iucundē viuant, vel alia esse vitia & conducibilia, alia iustiora. Multāq; equidē contra ea quæ nunc à Cretensibus & Lacedæmoniis dici vidētur, imō verò à cæteris quoq; hominibus dicere ciuibus meis persuaderem. Agite igitur per Iouem atq; Apollinē optimi viri, si hos ipsos deos qui leges nobis dedērunt, interogemus, si nec iucundissima vita iustissima: an duæ quædam vitæ sint, altera iucundissima, iustissima altera: nobisque ita quærentibus ipsi duas esse respondeant: ab eis forsan iterum percontabimur, si redē se sciscitari voluerimus, vtros beatiores oporteat dicere, iustissimē, an iucundissimē viuentes: ac si iucundissimē viuentes responderint, turpis erit responsio. Vellem autem de partibus legūque latioribus viris potius quam diis tale aliquid esse dictum, Quare quæ petij, à parte legis latore me petiisse iustissimē, respōsumque mihi esse, beatissimū esse illum qui iucundissimē viuat. Ego autem ita deinde opponā. O pater, nōnne quam beatissimē volēbas me viuere? Certē. At nunquam cessabas iubere vt quā iustissimē viuere. Quisquis autem hæc vnā concedit siue legumlator siue pater, & absurdē loquitur, & sibi ipsi non constat. Quod si iustissimam vitam, beatissimam esse respondeat, quæret, vt arbitror, quicūque id audiet, quidnam ea in vita bonum & pulchrum, tanquam voluptate melius, lex ipsa laudat? Quid enim à voluptate separatam

*Id est
si ce-
na em-
fatu qd
bona va-
dunt
id est
dicitur
supra
mulla*

iusto

iusto boni adesse potest? Dic obsecro an laus & gloria tam apud homines quam apud deos bonū quidem est atq; honestum, iniucundum autem: infamia verò contrā, nam iniucundum quidem sit, bonum verò atque honestum. cætera autem iucunda quidem turpia verò & mala? **CL. I.** Quo pacto id? **S. C.** Ratio igitur quæ neque iucundū à iusto, neq; bonum separat ab honesto, probabilis est: & si non ad aliud, attamē ad hoc, vt sanctē ac iustē quis viuere velit, multum conducit. Quocirca legislatori turpissima & admodum contraria oratio est, si hæc ita habere le neget. Nemo enim sponte id ager, cui nō plus lætitiæ quam doloris inest. Quod verò procul aspiciunt omnibus, vt ita dicam, vel ipsi pueris cæginosam asserit vertiginem. Quare vertigine tenebrisq; ablatis in contrarium legislator opinionēs ciuiliū ducet, & tum laudibus, tum consuetudine, tum rationibus quodammodo ipsi persuadēbit, tam iusta quam iniusta esse obūbrata, atque iniusta quidē contra apparere quam iusta. Nempe iniustus ac prauus iucunda videri, cui iusta videntur iucundissima iusto autem vitæq; contrā omnino videri. **CL. I.** Sic patet. **ATH.** Reuera autem vtram sententiam potiorē existimabimus: meliorisne an deterioris animi? **CL. I.** Melioris necessario. **ATH.** Necessē est igitur iniustam vitam nō turpiorem solum ac peiorem iusta sanctāque vita esse, verum etiam iniucundiorē. **CL. I.** Ita certē ex hac ratione, o amice, videtur. **ATH.** Legis itaq; latore ex quo exigua sit proventura vitæ, etiā si non ita ipse haberet vt modo diximus, nō alienum tamen sua grauitate putaret ad iuuentutis vitæ tam falsū aliquid, si modo quid vnquam aliud falsū dicēdum sit, dicere: maxime cum nullum mēdaciūm hæc falsitate vitæ excogitare possit, quod videret ita trahere audientes vlcatur, vt non vi, sed sponte iustitiam velint suscipere. **CL. I.** Pulchrum certē, o hospes, & stabile quiddam est veritas. Videtur autem plerumq; non faciliē persuadere. **ATH.** Esto, At enim Sidonij fabula illa, & si nihil verissimilitudinis habuit, faciliē nihilominus persuasit, aliaq; per multa similitet. **CL. I.** Quænam? **ATH.** Quod a dentibus quondam satis armati milites nati sunt. Magnum enim id legislatori exemplum est, posse animis iuuentū quodcūq; velit persuadere. Quæ opter nihil aliud scrutari debet, quā quibus rebus persuasionē acceptis maximum bonū conferat ciuitati, ad id que omni incumbere studio, vt ciuitas vniuersa de his rebus vnum atque idem quam maximē ac semper in cæribus, fabulis, & omni sermone decantet. Equidem ita sentio. Si verò vos aliter, nulla inuidia sit contradicere. **CL. I.** Neuter nostrum posse vnquam de his dubitare videtur. **ATH.** Prosequar igitur, asserens choros omnes qui tres sunt, teneris adhuc & mollibus puerorum animis, & alia bona quæ diximus, & quæcūq; narrare possimus, quasi incantatione quadā insinuare oportere. Caput autē illud sit, quod videlicet, si vitā eandem optimam & iucundissimam iudicari à diis asseruerimus, & vera loquemur, & magis illis quibus opus est, persuadēbimus, quam si aliter diceremus. **CL. I.** Concedenda sunt quæ dicis. **ATH.** Primus itaque puerilis mularum chorus hæc studiosē toti ciuitati decantaturus ingrediatur. Secundus illorum chorus qui ad triginta vsque annos prouecti sunt, Pæana testem veritatis dithorū inuocet, & iunioribus propitiū suppliciter esse precetur. Tertius eorum sit chorus qui triginta annos inter & sexaginta

atatem agunt. His autē seniores, quia non amplius de iisdem moribus fabulas poterunt decantare, dimittendos diuino oraculo censemus. **CL. I.** Quosnam hospes terrios hos choros dicis? non enim clarē quid de his dicere velis comprehēndimus. **ATH.** Hi profecto sunt, quorum gratiā plebs superius sunt iudicāta. **CL. I.** Nondum intelligimus. Quamobrem apertius conare dicere. **ATHEN.** Dicitur esse disputationis principio, si recordamur, ita ardentē iuuenum omnium naturā esse, vt neq; corpore neq; voce quiescere possit, sed sine ordine semper clamet & saltet: atque ordinis vtroqueq; istorum nullum aliud animal præter solam hominis naturā sensum habere. Ordinis autē qui in motu conspicitur, nomen Rhythmus, id est numerus esse potest: sed eius qui in voce, acuto & graui simul contēperato, Harmonia, id est, concentus. Vt in quoq; similibus, Chorea nominabatur. Deos quoq; diximus nosli miseros choræ cōcelebratores ac duces dedisse nobis Apollinem & Musas. Tertiumq; si recordamur, Dionysium numeramus. **CL. I.** Cur non recordari debeamus? **ATH.** Atqui Apollinis & Musarū chorū didiciam sunt. Tertius autem qui reliquos est Dionysio necessariū tribuetur. **CL. I.** Quo pacto? Iam nōne. Nam primò auditu valde absurdus Dionysiacus seniorum chorus esse videtur, si vltima sexagesimum annū, & ad quinquagesimum iam prouecti, & vsq; ad sexagesimum cō vitantur. **ATH.** Vera loqueris. Sed satione hæc opus esse arbitror, vt appareat quæ pacto oportuē id fieri possit. **CL. I.** Quidnō? **ATH.** Nondum superiora alia inter nos constant? **CL. I.** Quænam? **ATHEN.** Quod oporteat vros omnes & pueros, liberos & seruos, & parces & fœminas, & vniuersam ciuitatem toti ciuitati quotidie quæ diximus variis modis & carminibus decantare, vt ex innumeralibus hymnorum varietate inexpellibili quodammodo voluptate concinentes afficiantur. **CL. I.** Nihil obstat quo minus concedatur ista fieri oportere. **ATHEN.** Sed quo optima hæc ciuitatis pars, cui propter atatem atq; prudentiam summa inest ad persuadendum auctoritas, optima canendō maximum bonorum causa erit? An id stultē omitteremus, in quo optimorum & vltissimorum cantuum vis inest præcipua? **CL. I.** Haud omittere licet, vt modo apparet. **ATH.** Quomodo igitur decet id fieri? Videte quæso an ita. **CL. I.** Quo pacto? **ATH.** Vnūquisque lenior circa cantusiam fatietate affectus, his minimē deleat: & cum res postulat canere, quanto senior atq; modestior est, tanto magis canere vtretur. An non ita? **CL. I.** Ita profus. **ATHEN.** Sed multo etiam magis in teatro coram multitudine rectus cantare præ pudore nō tolerabit, præsertim si seniorū chorus, quemadmodum qui de victoria obtendunt, & ij quidē quō clarior vox sit, tenues atq; ieiuni cantare cogatur. Sic enim non sine molestia & pudore cantabunt, & ad ista tardiores accedent. **CL. I.** Necessaria narras. **ATH.** Quo igitur pacto paratos eos ad cātum reddemus? Principio lege sancimus, vt pueri vsq; ad duodeuagesimum annum vini vsum profusus ignorent. Nempe eos monebimus non oportere ignem igni in corpore arctiā suppliciter, antequa viri effectū fibris labores incipiat. Furiosum nanq; habitum inuētus cauere oportet. Deinde vino moderatē vitantur vsq; ad annum atatis trigimesimū. Ab ebrietate verò & vini repletionē iuuenes omnino abstinēt. Sed cum ad quadagesimū peruenerint,

*Pueri in
vino
vitiū*

*Vini re-
pletiō
in dote
vitiū*

tunc in conuivis liberis discumbentes, cum alios deos, tum Dionysium ad sacra senum & ludos inuocet, qui hominibus vinum quasi remedium aduersus senectutis duritiam largitus, ut resouerere videamur, & membra nos obliuio capiat, ipsaque affectio animi sicuti ferrum in igne ex duritie in molliem ducta flexibilior fiat. Primum quidem sic affectus quisque sumpta fiducia minus verebitur in ter aliquos ac suos, non tamen multos & alienos canere, & vna, quod iam sepius repetimus, incantare. **CLII.** Et maxime quidem. **ATH.** Ad eos igitur inducedos ut cantibus inter esse velint, modus hic haud indecens erit. **CLII.** Non certe. **ATH.** Quae autem voce & qua musa hi viri cantabunt? An ea videlicet quae ipsi conueniat? **CLII.** Ea duntaxat. **ATH.** Quenam igitur diuinis vins conueniens erit? Nonne ea qua chori decantant? **CLII.** Nos quidem hospes & in hon possumus aliud canere quam quod in choro didicimus. In hoc enim cantu affluet sumus. **ATH.** Par est. Optimum enim cantum non didicistis quasi enim castrensem Reput. habetis potius quam vrbaniam propterea tanquam frequenter pullos gregatim pascentes, iuuenes habetis. Vnde nemo vestrum arripit suum, & ad cohobendam eius ferocitatem, cuidam quasi equorum magistro committit, qui erudiat ipsum leniter tractans & mansueti faciens, & cetera quae educationi conueniunt peragens, ex quo non modo probus miles efficiatur, sed ciuitatis quoque & vrbium idoneus gubernator quae quidem principio diximus. **TYRETI** militibus fore bellicosiorum, quanto virtutis loco non primo semper & vbiq; priuatum & publice fortitudinis munera colentem. **CLII.** Nescio quo modo rursus, hospes, legumlatoribus vestris derogas. **ATH.** Non ex animo id facio, bone vir, siquidem iudicio, sed pergamus quod ratio ducit si vultis. Nam si musam habemus chororum & theatri communis praestantior, hanc illis exhibere conuenit, quos diximus illam quidem vereri, & aliam querere meliorem. **CLII.** Omnino. **ATH.** Omnibus igitur quae cuique gratia quaedam sequitur, inesse id oportet, ut vel ea ipsa gratia sola in his alliciat sitq; precipuum, vel rectitudo, vel vilitas. Exemplo quod dico, exponam. Cibis ac potus & alimentum omne gratia habet, quam voluptate dicimus. Rectitudinem vero & vilitatem, si conser ad sanitatem. **CLII.** Prorsus. **ATH.** Sic & in discendo gratia inest, quae voluptas nominatur. Rectitudo etiam atq; vilitas & bonus habitus atq; pulcher, quae ab ipsa veritate efficiuntur. **CLII.** Ita est. **ATH.** Quid porro in artibus, quibus similia efficiuntur, nonne id ipsum inspicimus? Voluptas profecto ex illis quandoque prouenit quam par est gratiam nominare. **CLII.** Certe. **ATH.** Rectitudinem vero talium, ut vniuersum dicam, aequalitas ipsa tanti talisq; efficit potius quam voluptas. **CLII.** Praeclate. **ATH.** Voluptate igitur sola id meritis iudicabitur, quod neq; vilitatem, neq; veritatem, neque similitudinem neque rorsus damnum efficit, sed solam causam gratiae illius sit quae conueniuntur, quam voluptatem recte possumus nominare, quoad videlicet nihil istorum ipsam sequitur. **CLII.** Voluptatem dicis solam, quam iudicemus? **ATH.** Nempe, & incum ac ludum rursus & in ipsam appellat, quando nec nocuum tamen neq; vilitatis aliquid afferat affirmatione dignum. **CLII.** Ita loqueris. **ATH.** Sequitur ex his quae diximus, quae similitudinem voluptate & opinione non velle iudicandam esse siuuliter etiam aequalitatem nul-

lam. Non enim quia hinc videatur, aut quoniam hic gaudeat, idcirco aequale ipsum aequale est, aut commensurabile, ipsum est commensurabile, sed nullo alio quam veritate sola. **CLII.** Sic est omnino. **ATH.** Atqui musicam omnem imitatrix, & simulum efficitricem esse dicimus. **CLII.** Cui dubium? **ATH.** Cum ergo quis sola voluptate musicam afferit iudicari, minime audiendus est, minimeq; huiusmodi musica, si alicubi colitur, querenda est, sed illa quae per imitationem boni similitudinem possidet. **CLII.** Vera haec sunt. **ATH.** Qui ergo cantus speciem & musam quae erit optimam, non eam quae iucunda, sed quae recta est, querere debet. Reddito enim imitationis in hoc consistit, ut dicebamus, si tantum & tale fiat quod imitationem exprimitur, quantum & quale in seipso est. **CLII.** Cui dubium? **ATH.** Atqui illud de musica omnes concedent, omnia videntur poetam eius imitationem esse atque assimilationem. Quod & poetae omnes, & auditores, histrionisq; concedent. **CLII.** Magnopere. **ATH.** Oportet igitur circa vniuersum poema & significationem, ut videtur, quid sit quod effingitur cognoscere illum qui in ipso non sit erraturus. Nam qui nec nouit quid essentia ipsius velit, nec cuius imago sit, nunquam rectitudinem eius & errorem intelliget. **CLII.** Nunquam certe. **ATH.** Qui autem rectitudinem operis non intelligit, num bene an male factum sit, cognoscat? Obscurus equidem loquor. Fortè vero planius ita mihi dicetur. **CLII.** Quo pacto? **ATH.** Mulex ad aspectum pertinens similitudines sunt. **CLII.** Certe. **ATH.** Si quis corporis depicti modum non tenet, cognoscatne vniuersum recte sit pictum? Vt puta vtrum articulos corporis & singulas particulas habeat, & numerus, & qualitatem, & locationem singulorum prout decet ad singula, colores praeterea atq; figuras: vel omnia, vtriusq; pertractare haec omnia picta sint? An censet hae alii quem cognitur, qui anima quod pingitur minime nouerit. **CLII.** Nullo modo. **ATH.** Sinaurè cognoscat aliquis hominem esse id quod pictum, vel quoquo modo formatum est, suatq; partes omnes & figuras & colores ab arte accepisse, num idè necessarium scubi defectus aliquis pulchritudinis in eo sit, ceterum agnoscat? **CLII.** Omnes ferme hoc modo hospes quae in animalibus pulchra se habent, cognosceremus. **ATH.** Rectè loqueris. Nonne igitur in imagine omni siue per picturam, siue per musicam, siue quo modo cuique aliter fiat, tria haec prudentem iudicem habere oportet? Primum ut cognoscat quid sit quod in imitatione cadit: secundum ut recte tertiū ut bene quaelibet similitudo verbi, ceteribus, numeris effecta sit, nouerit. **CLII.** Videtur. **ATH.** Ne pigeat igitur difficultate quae in musica est, exponere. Porro quoniam magis haec, quam alia similitudines, celebratur, maiore quam in ceteri operis est diligentia. Nam qui in hac aberrat, maxime laeditur, cui sub eius similitudine malos imbibat mors. Difficile autem id cognitu est, quoniam poetae non ita ut Musae artem poeticam tenent. Nunquam enim illa tantum errare possent, ut in effingendis virorum verbis, colore mulierum ceterisq; redderent, vel in contentibus figurisq; liberorum, seruatorum & illiberalium numeris, vel in numeris figurisq; liberis, contentum vel sermone numeris contrarium. Nunquam in super ferarum voces atq; hominum, pulland ordinem instrumentorum, & strepens omnes quasi vnum aliquid imitaretur, in

Quae
dicitur
ad
videtur
prode

vnum confunderent. Humani vero poetae huiusmodi multa perturbant, & sine ratione commiscunt, rursusq; hominibus commouent, quos Orpheus delectationis gratia in nactus at. Omnia enim & obfusca cernunt, & ipsi quoque distrahunt poetae, numerus quidem atq; figurae concentu seorsum, orationes nudas absq; concentu metricae componentes, atque etiam concentus & numeros absq; verbis, nudaq; citharae pulsatione & tibiae sono accommodantes. Quae in re difficillimum est cognoscere quid numerus & concentus qui sine verbis sit, sibi velit, & cui imitationi similis sit earum quae ratione sunt dignae. Parae autem oportet multa iudicare esse referre id omne quodcunq; siue velocitate seu tarditate, vocemq; ferarum proximè sequitur, ut aliter tibia, citharaq; vtrius, quam ad tripudium opus sit atq; cantu. Nudo autem vtriusq; vtriusq; est praestigiatrici ostentationi persimilis, & a Musis admodum alienis. Sed horum quidem haec ratio est. Nos autè haec non consideramus, quod triginta quinquagintaq; annos & vltra nati Musis nostris vtriusq; debeant, sed vtriusq; id significare videtur, quod ad quinquagesimum annum prodectus quibuscunq; canere opus est, melius ceteris chori Musam tenere oporteat. Necessè nanq; est, ut acutè concentus & numeros sentiant atq; cognoscat. Quomodo enim aliter quiescentiam rectitudinè cantus cognoscat, cui vel conueniat vel non conueniat Dorici, & numerus quem illi poeta adiunxit, vtrum rectè iunxerit necne? **CLII.** Nullo certe pacto. **ATH.** Vultus autem deridendum est, cum se putet quod boni cognoscat, quod autem non sit, quod contra, satis cognoscere. Hi inquam qui ad numeros accinere & saltare iam olim coadi sunt, quod vero singula istorum ignorat, non isthuc apud se ita reputant, quod quilibet cantus si omnia sibi conuenientia continet, rectè se habeat: non conuenit, cetera. **CLII.** Si omnino habet. **ATH.** Quid porro? Si quis neque quodnam habeat intelligit, nunquid quod diximus, quo pacto rectè se habeat in aliquo vniuersum cognoscat? **CLII.** Quo pacto id fieri possit? **ATH.** Hoc itaque nunc in his inuenisse videmus, quod cantores eos seniores, quos prius quidem nolentes ita prouocamus, ut libenter quodammodo canat, vsq; ad hoc didicisse necesse est, ut eorum quilibet ram numerorum progressus, pondera, quam sonos fidium harmonicis cōsequatur, ut concentus & numeros intelligentes, illos eligere possint, quos tantis ac talibus decantari oporteat, atque ita canentes, & ipsi voluptates innocuas consensum percipiant, & iuuenes ad probos mores de cantibus perducant, & oblectamentis. Eatenus autem docti, ex quibus maiorem quam vulgus & poetae ipsi disciplinam habebat. Tertiū quidem illud siue bona, siue mala imitatio fieri, non est necesse ut poeta cognoscat, concentu vero numerumq; necesse. Ili autem omnia tria cognoscere debent, ut optimum & secundū eligere queant. Aliter autem nunquam sufficienter vcluti incantationibus quibusdam poterunt iuuenem, animos ad virtutè allicere. Enimvero quod ab initio voluimus, ut videlicet Dionysij choro rectam opem sermo noster afferret, pro viribus dictum est. Verū consideremus an hoc ita sit factum. Talis vtriusq; concentus hominum necessarius computatione progredite tutulencior redditur. Quod & a principio posuimus, in his quae sunt hodie, necessario fieri. **CLII.** Necessè. **ATH.** Vbi

certè vniuersisq; seipso leuior factus extollitur & exultat, audaciaq; repletur, nec audit proximum, sed tam suspiciosus quam ceterorum omnium ducentem se sufficientem existimat. **CLII.** Absq; dubio. **ATH.** An non diximus, quoties ista sunt, bibentium animos, sicut in igne ferrum, ita vino feruescere molliores iuniorisq; fieri, & idcirco facilius deduci, veluti quando iuuenes erant, si quis & possit & sciat erudire eos ac fingere? Fidemero vero eundem esse qui & tunc probus legislator dicebatur. Cuius in legibus computationis modus est praescribendus, ut possint haec leges confidentem illum audacemq; & impudenciorum quam deceat factum, qui ordinem vicissim silētiū, sermone, cōpotatione, & musica feruere non vult, cohibere, atque ita instruere, ut contra in omnibus facere velit quam faciat, contra in surgente ac turpem confidentiam ad mouentes timorem optimum cum iustitia, quem quidem timorem diuinum, pudorē & verecundiam nominamus. **CLII.** Est vtriusq;. **ATH.** Harum legum auctores atq; cultores ad perturbatione & ebrietate remotos esse oportet, vinolentiorum duces. Sine quibus contra ebrietatem pugnare durius est, quam sine ducibus prudentibus & consideratis cū hostibus dimicare. Siquis autem necq; obtemperare velit his, necq; ducibus Dionysij vltra annos sexaginta natis, aequale vel etiā maius defecus ferat, quam qui ducibus Martis non parcat. **CLII.** Rectè. **ATH.** Nonne isti talis ebrietatis talisq; ludus adhiberetur, computatores magnam inde vilitatem consecuti, & maiori quam prius iniuicem beneuolētia iuncti, non autē sicuti nunc inimici discederent, cum legitime iniuicè conuersati essent, & ducentibus sobriis temulentis quoque legibus obtemperasset? **CLII.** Sic certe, si talis esset ebrietatis qualem modo narrabas. **ATH.** Ne igitur Liberi patris munus simpliciter ita vituperemus, quaei malum fit, necq; dignū ut in ciuitate recipiatur. Atqui plura etiā in hanc sententiam referri possent, quamuis maximū illud bonū quod largitur Dionysius, esse in multis vercar, quoniam homines cum audierint, non rectè accipiant, nec intelligant. **CLII.** Quid istud? **ATH.** Rumor quidam & fama defluxit ad nos, hanc decem à Dea Iunone mente olim deurbatum fuisse, atque idcirco viciscendi gratia bacchantum choream omnemq; infantiam induxisse, & vinū ad hoc ipsum tribuisse. Ego autem haec illis permittit dicere, qui tutum talia de diis dicere arbitrantur. Illud tamē scio, quod nullum animal cui tanta ac tali nascitur intelligentia, quanta, & qualis ei cum per se factum fuerit, conuenit. Hoc porro in tempore, quo prudentia suam nondū possidet, sunt omne, & sine ordine clamant, & cum quis ipsam occiderit, rursus in compositione & sine ordine exultat. Recordemur autem quod musice & gymnasticae haec esse principia diximus, **CLII.** Recordamur. **ATH.** Nonne etiam quod numerus & concentus sentus nobis solus sit, ex hoc principio constare diximus? Apollinem verò & Musas, & Dionysium duces ad haec nobis esse tributos? **CLII.** Vtique. **ATH.** Vinum verò, ut ferunt multi, ad vltionem hominibus datum est, ut infamant. Vt autem sermo habet noster, remedium, & medicina in contrarium, ut animus moderatè pudorem, corpus autem sanitatem & vires adificatur. **CLII.** Egregie hospes superiorum orationem commemorasti. **ATH.** Sed iam media pars eorum quae ad choream pertinent, dicta est. Reliquis verò, ut videtur,

Sicut
igne fer-
rum in
vino car-
pora fer-
uunt mol-
liunt.

Car vi-
cum da-
am ha-
muni-
bus.

